Morbio 22 (83) bis
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Ludovicus Marchio Mantue etc. Ducalis Locumtenens generalis etc. Suadent nobis benemerita grataque impensa servitia virtutum quoque cumulus quibus undique decoratur
Spectabilis et eximius iurisutriusque doctor dominus Henrietus nata Illustris principis et ex domini fratris nostri carissimi domini Johannis Marchionis Montisferrati etc. consiliarius ut
eundem non immerito consiliariorum nostrorum ac omnes eius germanos et filios nostrorum familiarium et domesticorum numero asscribamus et aggregemus quod eo tanto libentius facere
duximus quo strictiori vinculo caritatis et benivolentie cum prefato Illustri domino ab ineunte etate copulati sumus et cuncta inter nos communia fore censemus decernentes ut ipse omnesque
de familia sua in domo nostra locum habeant eisdemque honoribus dignitatibus prerogativis et emolumentis uti frui et gaudere possint quibus alii nostri consiliarii utuntur
fruuntur et gaudent. Illustres igitur ac magnificos Dominos Patres fratres benivolos et Amicos nostros ad quos presentes pervenerint attente rogamus et hortamur
Officialibus vero et Subditis nostris stricte precipiendo mandamus quatenus prefatum dominum Henrietum quotiescumque ad aliquas orbis partes se conferat cum personis decem
tam equester quam pedester et tam per terram quam per aquam cum navi et nautis opportunis omnibusque eius armis armisiis valisiis bulgiis libris vestibus impedimentis capsis
bonis et rebus quibuscumque per omnes eorum et nostri passus portus pontes civitates terras territoria villas oppida et loca quelibet libere et expeditissime semel et pluries
quotiens casus exigerit ac sine ulla solutione datii pedagii portus pontatici fundicarius tracte traversie restarie bullettarum et gabelle ac omni prorsus arrestatione molestia
et impedimento cessantibus nostri amoris intuitu ire stare transire et redire permittant ipsumque cum bonis suis benigne colligant et gratiose pertractent ac in cunctis opportunis
nostri eximia contemplatione suscipiant favorabiliter commendatum. Eidem quoque providendo de guidis scortis et salvoconductu pro eius tutiori et liberiori transitu ubi opus fuerit et
duxerit requirenda quod nobis quidem gratum erit et tanto profecto gratius ac iocundius quanto eum optime et honorifice tractatum ac susceptum esse intellexerimus. Ad nostrum
beneplacitum presentibus valituris Datum Mantue die vigessimo mensis Octobris MCCCCL quinto IIIIa Indictione.

R

Rsa

Confermano [illegible]
[illegible]

1455. 20. ott.e Lettere di famigliarità
del Marchese di Mantova Lodovico
a favore d'Enrico Vaca

PRIVILEGIO
III.
Lodovico Marchese di Mantoa

Morbio 22 (83) bis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1856343596-15
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1856343596-15